



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Theologiæ Speculativæ Scholasticis Prælectionibus Et Exercitiis Accommodatæ Libri IV

Haunold, Christoph

Ingolstadii, 1678

Contr. II. Vtrum peccatum Angelorum fuerit inordinata appetentia
Beatitudinis supernaturalis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82733](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82733)

CAPVT V.

DE PECCATO ET POENA ANGE-
LORVM.

CONTROVERSIA I.

Virum Angeli peccaverint appetendo Divinitatem.

960. **P**eccatum Angelorum fuisse peccatum Superbiae, ex immoderata aestimatione & amore propriae excellentiae, est certa sententia contra Scotum, expressa in Sacris paginis.

Verum in explicanda hac immoderatione, & obiecto illius amoris inordinati, tot ferè sunt sententiae, quot auctores.

961. Prima Sententia est: Peccatum Luciferi fuisse, quòd appetiverit aequalitatem cum Deo, seu ipsam Divinitatem, non quidem affectu simpliciter absoluto, & quoad modum tendendi efficaci (cognoscebat enim hoc esse impossibile) sed inefficaci quodam desiderio, quo desiderabat esse possibile, ut ipse esset Deus, & non esset alius Deus, sed Deus defacto existens esset sibi subiectus. Hanc sententiam P. Arriaga scilicet. 9. in fine tandem ceteris omnibus praefert. debet, nisi fallor, omnibus posthabere.

962. Rejicitur ergo 1. Huiusmodi Velleitates, ut notavit S. Thomas 7. 16. de malo a. 3. non ita solent allicere intellectum, praesertim perspicacissimum, qualis est Angelicus, ut amore imaginariae voluptatis, quae in eiusmodi velleitate reperiretur, desereret Deum, & ab ejus amore cessaret, seque illius inimicum constitueret, quem immediatè antè ferventissimè amasset. Certè nec in homine credo reperiri posse huiusmodi velleitatem, nisi vel indeliberatam, vel suppositam perverissimam voluntate, multum jam antè sceleribus immersam.

963. Rejicitur secundò. Quia huiusmodi velleitas non fuisset sufficiens occasio vel ansa praelij gravissimi, quod intercessit inter Angelos bonos & malos, nec etiam seductionis aliorum, & in suam sententiam translationis. Ad quid enim inducere voluit Lucifer alios Angelos? An ut etiam vellent esse Dij? atqui, si Lucifer ne vnum quidem Deum voluit esse sibi aequalem, quomodo tam multos gloriae suae affectatae amulos tolerasset, nedum ad hoc affectandum solli-

citasset? an ut sibi tanquam Deo essent subiecti? atqui ceteri Angeli non ignorarunt Luciferum non esse Deum: cur ergo, & cui bono habuissent velleitatem se illi subijciendi, si esset Deus? An, ut se sibi Lucifero tanquam supremo Angelo potius, quam Deo subicerent? Verum, si se ex superbia noluerunt vero Deo subicere, quomodo se subicerent Deo affectato?

964. Rejicitur 3. Quia Scriptura indicat conatum & actum absolutum, procedentem ex cognitione obiecti ut possibilis. *In caelum, inquebat, conscendam, super astra Dei &c. sedeo in monte testamenti; ascendam super altitudinem montium.* Hae sane non significant meras velleitates.

CONTROVERSIA II.

Virum peccatum Angelorum fuerit inordinata appetentia Beatitudinis supernaturalis.

965. **F**uit quorundam Sententia, Luciferum appetivisse beatitudinem habendam independentem ab ulterioribus meritis, eò quòd videret, se jam sanctificatum esse, & dignum tali beatitudine. Addunt alij, Luciferum ad hoc appetendum fuisse impulsus, quòd à Deo didicisset, Homines ad eandem beatitudinem elevandos esse: quapropter, ut saltem discrimen esset in modo acquirendi beatitudinem, desiderasse, ut Angelis daretur sine meritis, hominibus verò non nisi per merita.

966. Nec hæc sententia satisfacit. Vel enim hoc desiderarunt Angeli habere etiam independentem à Voluntate Dei, sive, invito Deo, vel dependentem ab ejus voluntate. Non primum, quia cognoverunt hoc sibi esse impossibile. Secundum verò non fuisset per se peccatum grave.

967. Di-

967. Dixerunt aliqui, minatos eos esse Deo desertionem, nisi daret gloriam independentem ab ulterioribus meritis. Sed contra. Qualem quæso desertionem minari sunt? An minati sunt inobedientiam, vel cessationem ab Amore illius? ergo voluerunt esse obediētes & amantes, cum hac conditione, ut Gloria detur sine meritis, ergo voluerunt quidem ponere merita, sed Gloriam noluerunt habere propter merita: hoc ineptè diceretur. Superbus enim mavult habere gloriam propter merita, quam sine meritis, quæ tamen posuerit, ne scilicet novo gratitudinis titulo obligetur?

968. Breviter. Non apparet, quæ ratione peccatum Angelorum consistere potuerit præcisè in appetitione alicujus boni, sine omni Nollitione se subijcendi Deo. Vel enim illud bonum voluerunt consequi volente Deo, & per media licita, & hoc non fuisset peccatum: vel per media illicita, & hoc respectu Beatitudinis supernaturalis est impossibile; & hoc cognoverunt Angeli.

969. Hinc rejicienda etiam est sententia Molinae, Præpositi, & aliorum, quod peccatum Angelorum fuerit appetitio dominatus in alias creaturas; eo quod Angelus considerans naturæ suæ excellentiam, appetierit omnibus creaturis mente præditis dominari, & ab illis coli. Vel: quod voluerint eximi ab omni imperio alterius, & sic esse similes Deo, ut opinatus est Valentia, Becanus, Hackerus, Gamachæus. Non inquam hæc sufficiunt, nisi denique deveniatur ad quandam nollitionem se subijcendi Deo, quod est dicendum ex mente S. Augustini Concione. 2. in psalm. 70. & lib. 11. de Civit. c. 13. & S. Gregorij lib. 34. Moral. c. 14. magisque ex dicendis constabit.

CONTROVERSIA III.

Virum Angeli peccaverint præferendo Beatitudinem naturalem supernaturalem.

970. **E**st Sententia D. Thomæ, q. 63. a. 3. in C. & lib. 3. contra Gent. c. 109. quod Lucifer appetierit indebitè esse similis Deo, quia appetijt ut finem ultimum beatitudinis id, ad quod virtute suæ naturæ poterat pervenire; avertens suum appetitum à beatitudine supernaturali, quæ est Gratia Dei. Sensus est: quod Lucifer ex nimia æstimatione suæ propriæ & naturalis excellentiæ, noluerit se humiliare eousque, ut per opera meritoria supernaturalia contenderet consequi felicitatem supernaturalem, quam proinde ex superbia contempsit, volens contentus vivere felicitate suâ naturali, & viribus naturæ conse-

quibili, per cognitionem objectorum naturalium.

971. Confirmari potest primò ex P. Esparza, duo observando: primum est; prædicatum maximè proprium, maximèque appetibile divinitatis esse, ut sibi se solo sufficiat, solaque suæ vi & sufficienti sit beata. Secundum est, non potuisse Angelum pervenire ad beatitudinem supernaturalem, nisi per magnam & eximiam demissionem ac humiliationem, tam quoad intellectum, quam quoad Voluntatem, captivando in obsequium fidei circa mysteria difficillima: ad hæc addo item firmissimè promissionibus divinis obsequere propositis, & continentibus objecta maximè ardua, diligendo Deum super omnia, tanquam autorem supernaturalium.

972. Confirmari potest secundò ex P. Philippo à sanctissima Trinit. disp. 8. dub. 5. Quia quamvis beatitudo supernaturalis plurimum excedat beatitudinem naturalem, si tamen comparatur bonum excellentius cum bono connaturali, superbus majorem habet propensionem ad bonum connaturale, quam ad bonum excellentius quidem, sed non naturale, adeoque non proprium, sed quasi alienum: nam circa bonum connaturale & proprium, non habet tantam dependentiam ab alio, quantam habet circa bonum sibi indebitum: dependentiam autem abhorret superbus, & affectat independentiam.

973. Veneror sententiam ob reverentiam D. Thomæ debitam; adhuc tamen in ea defendenda difficultatem exior. Imprimis enim certum est, peccatum Angelorum fuisse, quod vellent esse similes Deo: hoc autem quod est: esse sibi ipsi sufficientem, eo modo quo Angeli cognoverant id sibi esse possibile, non satis idoneè declarat hunc affectum similitudinis cum Deo. Probatur. Est quidem hoc prædicatum maximè proprium Deo, sed in hoc sensu, quod Deus sibi sufficiat quoad felicitatem summam, incapax incrementi, & satiatiæ: felicitas verò naturalis Angelorum adeo distat ab hac sufficientia, ut non nisi ineptè potuisset Lucifer dicere: permanendo in felicitate mea naturali ero similis Deo, exaltabo solum meum &c. vno verbo. Scriptura videtur indicare, conatum ascendendi ultra statum naturalem.

974. Præterea Angelus cognovit se gravissimè peccaturum, præferendo felicitatem naturalem supernaturalem, ad quam obtinendam creatus & obligatus erat: atqui peccatum non stat cum felicitate naturali, reddit enim obnoxium poenæ & miseriæ æternæ, & hoc evidenter cognovit Angelus: ergo non poterat Angelus conari retinere felicitatem naturalem speratam supernaturalem; quia hæc ipsa prælatio fuisset destructio felicitatis naturalis.

975. Vlti-